



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 34. Quæ sit distinctio inter Beneficium, Canonicatum, Præbendam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Q. 34. *Quæ sit distinctio inter Beneficium, Ca-* 215
nonicatum, præbendam. R.

§. I. Si strictè loquamur, hæc est, 1. Beneficium est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, constitutum ab Ecclesia, ut pluribus explicat *Leur. p. 1, q. 1. & seqq.* Perinde autem est, siue illud jus sit in aliquo, qui spectet ad aliquod Capitulum, siue non: melius autem dicitur cum *Lott. l. 1. q. 33. à n. 24.*, quod Monachus non sit beneficium. 2. Canonicatus est jus spirituale, quod aliquis ad Capitulum spectans habet ad stallum siue sedem in choro, & ad vocem in Capitulo, siquidem in sacris sit constitutus; ideoque potest aliquis esse Canonicus, qui tamen non habeat beneficium, id est, necdum habeat jus percipiendi fructus. 3. Præbenda est jus percipiendi fructus provenientes à Canonicatu, unde iterum Canonicus tamdiu est sine præbenda, quamdiu necdum habet jus percipiendi fructus; notatque *Neusser in polyanth. d. 144. n. 5.* posse alicui conferri Canonicatum absque præbenda, dummodo adsit causa, & non fiat in multis: addit cum *Fagn. Pirh. & aliis* tali Canonico esse conferendam primam præbendam vacantem.

§. II. In illo, quod communi nomine appel- 216
lamus beneficium Ecclesiasticum, tria inveniuntur, officium, beneficium & fructus: officium est obligatio ad aliquam functionem spirituales, v. g. ad administranda Sacramenta, ad legendas horas, & hoc officium est immediatè in se aliquid spirituale, quod est fundamentum beneficii. Beneficium hinc intelligitur jus ad fructus ratione officii, quod jus per hoc tantum est spirituale, quod spirituali officio sit annexum & in eo fundetur: estque talis præstatio fructuum, secundum *Az. p. 2. l. 6. c. 1. juris naturalis,*

quia de jure naturæ debetur operario sua merces; secundum alios cum *Lott.* est juris Divini, quia Deus *Num. 18. v. 8.*, Christus *Luc. 10. v. 7.* Apostolus *1. ad Corinth. 9. v. 13.* præcipiunt Ministris Ecclesiæ dari suas mercedes & stipendia; constitutio tamen tanti vel tanti stipendii ex hoc vel illo fundo est juris humani tantum, uti rectè AA. apud *Leur. q. 12.* Fructus seu proventus ipsi sunt aliquid omnino temporale, unde illos vendere aut emere nulla est Simonia.

217 Q. 35. Quid sit præstimonium; beneficium titolare, manuale, monoculare; Commenda Spirituallis. R.

§. I. Præstimonium est beneficium institutum pro Clericis, ut studiis vacent; habetque sæpe adjunctum onus orandi quotidie quinquies Pater & Ave; putantque *Az. Suar. Garc. Gonz. & Castrop. tr. 13. d. 1. p. 7. n. 1.* esse verum beneficium Ecclesiasticum ac materiam Simonix, quamvis aliqui id negent.

218 §. II. Beneficium titolare est, quod in titulum perpetuum sic confertur, ut absque gravi causa non possit auferri, & ideo est titulus Ordinationis.

219 §. III. Beneficium manuale est, quod ad nutum alterius potest auferri, ideoque dicitur manuale, quia in alterius manu & dispositione manet illud relinquere vel auferre: talia sunt pleraque beneficia regularia; neque dicuntur ejusmodi beneficia propriè vacare, si moriatur deserviens; neque subjacent regulis provisionum, sicuti alia, *Luca de benef. d. 97. n. 19.* In dubio autem an aliquod beneficium sit manuale an absolutè perpetuum, si sit sæculare, præsumi debet esse absolutè perpetuum; imò omne manuale sæculare potest conferri in perpetuum, *Luca n. 23.* è contrà si sit regulare, præsumitur manuale, propter subjectionem ad obedientiam, *Luca n. 3.*, qui n. 6. ostendit manualia quæcumque (exceptis Commendis